



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad  
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo  
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Collegia Mediolani constituta. cap. 33.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10502**

In laicorum familia, quacumque dignitate illi essent, neminem, maxime presbyterum, ita esse permisit; quod saepe antea non sine magno sacræ dignitatis contemptu fiebat; vt vllō modo in famulatu esse videretur. Hæc attigisse breuiter sufficiat; vt huius generis speciem saltem quandam exhiberemus. Quæ quidem disciplina, litteris adiunctis, alijsque nonnullis tuendæ dignitatis adiumentis, de quibus exponemus; ad existimationem, grauitatemque cleri pene abiectam erigendâ magnopere valuit; qui quidem non exiguus fuit inter alios Caroli laborum fructus; ex quo multa populis salutaria extiterunt, nam, vt in officio clericos cōtinuit; iusteque puniuit delinquentes; ita bonis benignissime fauit; & vniuersi ordinis existimationem studiose defendit. Honoris insignia libenter tribuit. cappas, vt dicimus, rubeas canonicorum ecclesiæ maioris confirmari curauit; ceteris canonicis, quas appellat Almutias, Præpositisque alias cappas tribuit. Prothonotarios, quod non ita passim creandos existimauit, tum ad eandem pertinuit dignitatem; tum etiam ad imane studium honoris in quibusdam compri mendum. Facultates etiam, vt ad vitæ clericalis decentiam cuique pro loci conditione essent, attente curauit.

Collegia  
Mediolani  
constituta.  
Cap. xxxij.

Collegia constituit plura, quæ virtutū essent, q̄ ecclesiæ; immo & reipublicæ ipsius seminaria: vbi vitæ more cœnobiorum ageretur, probe namq; nouerat, quid valeret educatio. diximus de collegio nationum finitimarum. de nobilium adolescentium alio tetigimus; quos litteris, christianiisque moribus, accuratissime instituendos curabat; vt ex ijs probos, litteratosque viros reipublicę subministraret: quod quidem exteri multi, nobilissimique adolescentes cupide mittebantur. quos, quoniam sicut

sua Carolus commendatos sciebat; & spectatissimos sacerdotes eorum gubernationi præficiebat; & ciues optimos rerum familiarium curatum ipse sæpius inuisens, accurate de rebus omnibus percunctabatur; omnia cognoscebat; Eucharistia, vrbis diuinis pascebat. Sed de collegijs dicamus cleri sui. In ecclesiæ suæ seminario proprie appellato, quod iam vsque ab initio per Ormanetum constituerat; clericos Mediolanenses ad centum quadraginta solebat alere: & ecclesiastica disciplina; tum litteris, & humanioribus, & philosophicis, & diuinis, pro cuiusque captu instituire. ad tantum numerum sustentandum, paulatim idoneas facultates beneficiorum, quæ simplicia dicuntur, prout possessoribus vacarent, ex varijs locis, vbi eæ minime essent necessarię, varijs temporibus attribuit; & alias Apostolica in primis auctoritate comparauit, ad aureorū numerum circiter sex millia annua. facilius litteris domi erudiri; grauiorum vero studiorum causa Braidentis collegij magistros adire constituit: quorum scholas, vel ad hanc rem vnā fundauerat. Quæ ad conformandos mores; ad mentem religione, sanctitateque imbuendam; sacrorum disciplinam discendam; administrandæ ecclesiæ facultatem comparandam, valebant; ijs exerceri iussit. clerici nihil facultate non impetrata facere; ne abire quidem e conspectu; binos exire domo: ordine, modesteque ire; tum vestitu nulla parte sordido, vel indecoro. probati homines sacri, die nocteque suo quisque muneri, assidere: domo simul exeuntes comitari: Præfectus litterarum perpetuo doctrinæ studia, progressionisque vrgere; disputationibus, concertationibusque litterarijs occupatos habere: Rector loci, grauius presbyter omnia moderari; sacramentorum vsū, frequentiamque cura-



re; frequenti exercitatione, communicationeque rerum spiritualium, diuinarumque, ad solidam religionis præstantiam, sensusque sanctissimos perducere. Carolus ipse sæpe numero adibat: audiebat pie declamantes: intererat disputationibus: aderat diuinas res inter se conferentibus: singillatim cognoscebat vniuscuiusque mores, litterarumque progressiones. Statim præsertim temporibus erat, præfens, eum de eruditione periculum fieri; & vniuscuiusque conditione, moribusque diligenter examinatis; qui ecclesie vsui esse possint, diiudicari solet. Huius disciplinae instituta fuisse descripta, nondum plene recognouerat, probaueratve, cum ex hac vita migravit. Clericos indole atque ingenio ad ecclesiastica munera, quantum fieri posset, aptissimos recipi curabat ætate vero annorum circiter XVIII. ne vel propter maiorem ætatem, ad scientiarum integra studia minus apti; vel ob minorem, loco diutius onerari essent. facile quoque ex vicis, locisque, vbi litterarum magistri fere non haberentur, quæ ita tenebat, vt iusta de causa tamen sententiam sæpe mutandam putaret. Vt quisque, eiusve parentes essent à facultatibus instructi; ita quod in annos singulos penderent sumptus causa, conluebat. qui sumptum integrum non soluerent, eos adhibere sponsorem iubebat; qui quod ob inopiã remissum esset, soluere promitteret; si clericus ecclesie Mediolanensis postea noluisset inseruire, exteros fere non admittit; aut ita, si sumptui integre satisfacerent. Hæc primo collegia, clericorum societatis IESV cura, operaque instituit. postea cum Mediolanenses clerici multi eis succreuisissent, alij quoque eadẽ disciplina instituti essent; eos adhibuit. Qui clerici vel ætate iam confirmata, vel hebeti ingenio ad statum disciplinarum cursum minime apti videbantur; eos alio loco latinis litteris.

doctrina sacramentorum, & ea facultate, quæ in cognitione peccatorum, castaque tuenda conscientia versatur, instituit erudiri, numero fere sexaginta. Sed aliud collegium itidem quasi parochorum feminarium habuit; in quo minori numero, homines ætate media, propiori ad parochias administrandas studio instituerentur.

His collegijs, adiuncta Oblatorum sodalitate, magnum sibi Carolus ecclesie administrandæ subsidium comparauit. Ex eiusmodi enim seminarijs, quasi arbores pubescentes, alias, alio transferens, vt opus esse animaduertat; agrum suum bene consistum, vberemque reddebat. extra collegia quoque, multi Braidensis gymnasij bono vtentes, Theologi euasere. exteri præterea eadem commoditate vsi; optimaque deinde Caroli administratione, tum auctoritate etiam inuitati, sese ecclesie Mediolanensi addixerunt. Ex omnibus item partibus ille studiose homines adducere solebat doctrina, moribusque probatis; quos in ecclesia sua varie; pro eo quod opus esse videretur, disponebat: eum in suis retinendis contra, vel tenacitate quandam adhiberet. Ita fecerat, vt in præcipuis diocesis locis, aut ecclesijs insignioribus, viros graues Theologos, vel iuriscanonicos peritos plurimos; & in canonicorum singulis collegijs, Tridentini præsertim canonis auctoritate secutus, Theologos haberet. Regulares quoque homines quamplurimos adiutores quærebat. Societatis IESV constituit cœnobia duo primò ad ecclesiam S. Fidelis, alterum collegium fuit Braidense; eã conditione in perpetuum firmata; vt in eo logica, philosophia, theologicæ, rhetoriæ, grammatice, linguarum græcæ, & hebraicæ scholas apertas haberent, ad totius iuuentutis prouinciæ Mediolanensis, & clericorum in primis honestissimum fructum. ad eã rem; loco, vt superior

De incrementis cleri, studijque eiusdem litterarijs.  
Cap. xxxiv.

apud  
Mediolanensem  
ecclesiam